

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae XII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Tamquam procurator] Eo studio, quo solent ii, qui aliena negotia procurant.

Agas] Etsi patet sententia, de mendo tamen suspicor; cum in

omnibus antiquis libris *agros*, non *agas*, scriptum esse videam. omnes etiam pro *quando*, habent *quom*: id est, cum: quod veteres usurpabant pro *quoniam*, vel, *quando*.

EPISTOLAE XII.

ARGVMENTVM.

Queritur de Appii Claudii, qui cum L. Pifone censuram gerebat, non ingrato solum animo, sed grauissima etiam iniuria: quem cum inimicum sibi esse, accusationemque cogitare comperisset, anteuertit ipse, eumque lege Scantinia postulauit.

EXPLANATIO.

Pudet] Non semper culpam sequitur pudor. vir bonus a vitio sic abhorret, vt alienis etiam flagitiis pudore afficiatur, neque solum cum ea cernit, sed etiam cum audit. *Pudet*, inquit *Coelius*, quod ita ingratus in me fuerit, ita se turpiter et inique *Appius* gesserit. Vel: *Pudet* me tibi consiteri, et queri de iniuriis *Appii*; cum eum tibi antea laudauerim.

Quia magna mihi debebat beneficia] *Odii* causam ponit beneficia sua: vere fortasse: nam debitor creditorem non amat, adspertum quasi metuens fugit: putat enim se, cum beneficia non referat, non amari: quae opinio facit, vt nec ipse amare possit. porro qui non amat, quauis non modo re, sed suspitione etiam adducitur, vt odisse incipiat. qua tamen labe non inficitur animus boni viri, qui alios ex ingenio suo mesitur: nec putat vilius commodi praemiiue spe beneficium tribui. mercatura enim quaedam esset, non liberalitas, improbi autem saepe benigni sunt, non modo vt eandem gratiam reci-

piant, sed vt aliquid etiam, feneratorum more, lucrentur.

Sibi imperare] *Imperare sibi* dicitur, qui aliter agere ita solitus est, vt non libenter a consuetudine discedat. *Appius* autem avarus: ideo sibi, vt beneficia soluat, imperare non potest. Sic locutus *epist. 9. Impera tibi: hoc cura.*

Collegium] *Augures*, (erat enim *Appius* augur) vt aliquid contra *Coelium* molirentur. Alii ex coniectura, parum necessaria, contra veteres omnes libros legendum putant, *collegam*, id est, *Pisonem* censorem: quod hoc tempore censuram gerebat *Appius*.

L. Domitio] Qui cum eo consultatum gesserat.

Hoc munusculum deferre Cn. Pompeio] *Negotium* dare *Pompeio*, vt me accusaret. Nisi hoc dicit *Coelius*, quid aliud significet, non video. *Scrupulum* tamen sentio. primum, verisimile non videtur ita despere *Appium*, vt *Cn. Pompeium*, virum grauissimum, principem ciuitatis, qui cum imperio

rio

rio ad urbem erat, adduci posse ad suscipiendam accusationem existimet: deinde, *munusculum deferre*, non est apud Coelium accusandi curam committere, sed accusare: vt epist. 8. *Nemini hoc deferre munusculum maluit, quam suo accusatori.* postremo, genus loquendi, etsi multa in Coelio dissimulanda non ignoro, tamen hoc quidem ferre vix possum, *impetrare a me non potui, ipsum reprehenderem.* quis enim non videt, *vt*, desiderari? Quae cum intueor, libenter ad eam deducor coniecturam, vt hoc modo legendum et distinguendum putem: *Hoc munusculum deferre, Cn. Pompeio ipsum reprehendente: vt ab eo deprecarer iniuriam, etc.* nec tamen hanc opinionem nihil adiuuat scriptus liber, qui est apud me, in quo est, *vt ab eo*, non, vt vulgo legitur, *et ab eo*. Erit autem, *munusculum deferre*, accusare: quo sensu vsurpatum etiam est, vt dixi, epist. 8. Quod si quis libros typis impressos malit approbare, accipiat, *reprehenderem*, non pro *obiurgarem*, quod absurdum hic quidem esset, sed pro, *prenderem*: id est, rogarem, vt accusandi consilium abiceret.

Quid ergo est? Quasi aliquis eum interroget: hoc tibi faciendum non putasti, quid igitur fecisti? Et videtur hoc loquendi genus post negationem, id est, vbi quid improbauimus, inferri. Non placuit mihi, ait Coelius, iniuriam ab Appio deprecari: quid igitur placuit? alloqui communes amicos, testes meorum in illum meritorum. Sic Linius lib. 44. c. 22. *Non sum is, qui non existimem admonendos duces esse: immo eum, qui de sua vnus sententia omnia ge-*

rat, superbum iudico magis, quam sapientem. Quid ergo est? Primum a prudentibus, et proprie rei militaris peritis, et usu doctis, monendi imperatores sunt.

Tum quidem ERN. Tamen] Ab ipso quidem vt iniuriam deprecarer, impetrare a me non potui: tamen feci, vt amicos alloquerer.

Cum aliquot amicis ERN. Quasi aliquid] Praeclara, nisi fallor, emendatio. mendum autem, quod in vulgatos libros irrepsit, sententiae peperit ignoratio. nam, *quasi aliquid*, valet, quasi hoc aliquid futurum esset: quod tamen apud Appium esse nihil sensi. praeterea, scriptum ita video in vetere Sigonii libro. quidam, *quasi aliquot amicis*, malunt: in quo et ab antiquis libris, et, vt puto, a Coelii mente discedunt.

Amicis locutus sum] De Appii iniuria. vsurpat et Cicero hoc verbum cum dandi casu lib. 6. ad Attic. epist. 1. *Haec non noram tum, cum Democrito tuo locutus sum.* Et Plautus in Men. Act. 5. Sc. 9. v. 7.

Adolescens, quaeso hercle loquere tuum mihi nomen, nupiget.

Ne, cui satisfaceret quidem] Satisfacit, qui se verbis excusat. exempla sunt, lib. 7. epist. 13. *Hic tu me etiam infirmulas, nec satisfactionem meam accipis.* Et Phil. 2. c. 20. *Acceperam iam ante Caesaris litteras, vt mihi satisfaceri paterer a te.* Et Caesar lib. 1. de bell. Gall. c. 41. *Reliquae legiones per tribunos militum, et primorum ordinum centuriones egerunt, vt Caesaris satisfacerent.* Et alibi.

Colle-

Collegae eius] L. Pisoni, contra quem exstat Ciceronis oratio. is censuram cum Appio gerebat. Caesar lib. 1. de bell. ciu. c. 3. Dio lib. 40.

Amicitiam tuam] Quia Cicero electus a Clodio, consentiente consule Pisone, postea, ut vleisceretur iniuriam, orationem habuit de consularibus prouinciis, ut Piso e Macedonia, quam proconsul regebat, reuocaretur. quod senatus decreuit.

Simiac] Sic Cicero lib. 7. epist. 2. *Hic simiolus, animi causa, me, in quem inueheretur, delegerat.* et lib. 5. epist. 10. et Horatius lib. 1. Serm. Sat. 10. v. 17.

— *Quos neque pulcher Hermogenes umquam legit, neque finius iste*

Nil praeter Caluam et doctus cantare Catullum.

Vultum subire] Quod supplicis est. ita pro Quintio c. 31. *Denique ipsius inimici vultum superbissimum subiit.*

Incanduit] Pro, *excanduit*; vehementi commotus est iracundia. quo motu vultus excandescit. Alii, *scanduit*. Ego librum Sigonii, et meum sequor. et omnino magis placet, *excanduit*, quam *scanduit*. quid enim est, *scanduit*? tolerabilius erat, *canduit*: quod ad iratorum vultus pertinet. verum, *incanduit*, si habeo, comprobatum testimonio duorum librorum, qui nodum in scirpo quaeram?

Per hanc speciem simultatis] Quod cum in infamiam vocarem ficta simultatis causa.

Polam ERN. Polam Seruim] Nihil muto: videant tamen eruditi, an sit rectius, quod monui

adolescens in scholiis nostris, *Polam Seruim*, quem Cicero nominat, ut accusatorem, lib. 2. ad Q. Fr. epist. 2. et Coelius ipse paullo post: *Vix hoc erat Pola elocutus.*

Inire cum Domitio consilia] Consilia capere, simul considerare. lib. 9. epist. 24. *Consilia sunt inita de me.* Et Liuius lib. 6. c. 34. *Consilia inire cum genere coepit.*

Compellari] Arceffi, in iudicium vocari. Lib. 2. ad Attic. epist. 2. *Nigidium minari in concione, se iudicem, qui non affuerit, compellaturum.* Et Phil. 3. c. 7. *Idem Q. Ciceronem, fratris mei filium, compellat edicto.* Et Suetonius in Iulio c. 17. *Vettium contexit in carcerem: eodem Nonium, quaestorem, quod compellari apud se maiorem potestatem passus esset.*

Dicere non poterant] Nihil erat, quod obicere mihi possent.

Summis Circensibus] Extremis diebus Circensium ludorum meorum: binos enim ludos aediles curules dabant, Megalenses, et Romanos, ut ostendit Dio lib. 39. et Pedianus in commentario Cornelianae. hic de Romanis intelligendum: qui dabantur in circo mense Sept. per quinque dies: quod fasti dierum veteres demonstrant. Scripta enim epistola paullo ante, quam Cicero e prouincia decederet: cum dicat Coelius in clausula, *expecto te valde, et quamprimum videre cupio.* nam Cicero decessisse videtur mense Octobri: quod ex epist. 3. lib. 16. licet conicere. Megalenses autem initio anni dabantur, id est multis mensibus ante Romanos: inquit enim Cicero lib. 2. epist. 11. *Mihi, mehercule, magnae curae est aeditas tua. ipse dies me admonet.*

bat. scripsi enim haec ipsis Megalensibus. Praeterea, cur de Megalensibus accipiam, cum non in circo, sed in Palatio darentur? de quibus Cicero in orat. de harusp. resp. c. 12. *Quid ego de illis laudis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum, in ipso Martis magnae conspectu, Megalensibus fieri celebrarique voluerunt?* Idem Liuius confirmat lib. 36. c. 36.

Lege Scantinia] De nefando marium concubitu, quae poenam irrogabat decem millia nummum. Quinctilianus lib. 4. c. 2. et lib. 7. c. 4. capitale crimen postea fecit Iulia lex. epist. 14. Iuuenalis Sat. 2. v. 44. Suetonius in Domitiano c. 8.

Pola elocutus] Vix hoc Pola Seruius accusator dixerat. Antea, *praelocutus*. ego, cum in antiquis libris viderem, *Pole locutus*, legendum putavi, *Pola elocutus*. posset etiam, *Polae locutus*: id est, vix Polae dixerat Appius, cupere se mihi accusatorem ponere. nam et paullo ante Coelius cum dandica-
tu idem verbum coniunxit, *amicis*, inquit, *locutus sum*.

Quod melius caderet] Quam censorem, qui moribus praeest, et magister morum appellatur, lege Scantinia in iudicium vocare.

A populo, et non infimo quoque] Addidit, *non infimo quoque*, ut ostenderet, nobiles etiam homines id probasse: qui, licet populi nomine comprehendantur, permisti tamen in multitudine non satis interoscuntur.

Fama] Cum increbesceret, censorem, corrigendis moribus praepositum, tam turpi crimine positum ari.

Corpi sacellum, in domo quod est, ab eo petere] Censorum erat curare, ut sacella non in domo cuiusquam essent, sed populo paterent. itaque Liuius lib. 40. c. 51. ubi loquitur de Lepido et Fulvio censoribus, *complura*, inquit, *sacella publica, quae occupata a privatis; publicaeque sacra ut essent paterentque populo, curarunt*. Coelius autem, ut ostenderet, Appium censorem officio suo deesse, petere coepit ab eo, ut sacellum in domo privata ne relinqueretur: cuius rei cura Appii, qui censor erat, esse debuerat. sed libentius intellexim de sacello, quod ipse Appius occupasset: ex quo grauiorei concitata esset invidia, occupatis rebus a censore, quas censor, ab aliis occupatas, populo restituere deberet.

Amplius quadraginta mansit] Quid est hoc? an, *quadraginta litteras*? Latinitum non est. *quadragenae* enim *litteras*, potius quam *quadraginta*, et *quadraginta epistolae*, potius quam *quadragenae*, Latini sermonis consuetudo postulat: nisi, si scripserit Coelius, XL, ex quo imperitus librarius descripsit, *quadraginta*. verum quid haec attinet colligere? cum in antiquo Sigonii libro diserte scriptum sit, *quadraginta diebus misit*. quamquam in verbo *misit*, librarius peccauit: quod meus liber, aliique corrigunt.

Scis Domitio diem timori esse] Similiter locutus epist. 14. *Scis Appium censorem hic ostenta facere?* Sed cum obscura sententia est, tunc ita discrepant inter se veteres libri, ut obscuro per se loco, maiores etiam tenebras offundant. In vno meo scriptum est hoc modo, *diem timor*